

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Michael Cobabus Johannes Schröder

**Disputatio Analytica-Theologica super caput XII. Epistolae ad Romanos, De
Spirituali Christianorum Transformatione, Quae fit Renovatione mentis, & hoc
tempore In omni statu est summe necessaria**

Rostochi[i]: Richelius, 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740891227>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1672

Cobabus, Mich./a

32

I. N. D. N. J. C.
Disputatio ANALYTICO-THEOLOGICA
super caput XII. Epistolæ ad Romanos,
DE
**SPIRITUALI CHRISTIANORUM TRANS-
FORMATIONE,**
Quæ fit Renovatione mentis,
& hoc tempore
In omni statu est summè necessaria,
Quam
Divinâ favente gratiâ,
Venerande Facultatis Theologicae consensu,
PRÆSIDE
DN. MICHAELE COBABO,
S. S. Th. D. ejusdemq; P. P.
DN. Præcept. & Fautore omni observantiæ
cultu proseqvendo,
Publica ventilationi exponit
JOHANNES Schröder /
Rostochiensis.
In Auditorio Majori, horis matutinis, ad diem 24. Aprilis.


Rostochi, Typis Jacobi Richelii, Sen. Typ.
Anno cl. loc LXXII.

1672

22

Diciturio. Annotatio. Theologica
super capitulo XII. Philosophiae Politique
de SPIRITU ET ARIA CRI-
STIANORUM TRANS-
FORMATIONE.
Quae est Rerum Revolutione. Mense
in omni utilitate summe necessaria.

DN. MICHAELIS COBATO.



DN. LUDWIGI ET HAN-
SII OPUSCULIS.

ET TIT. RICARDI ET T. RICHARDI. RICARDI ET T. RICHARDI.

§. I.

Si unquam fuit necessarium, ut in Ecclesia visibili studiosè tractetur doctrina de spirituali Christianorum transformatione, quæ fit renovatione mentis; præsenti tempore, quo mundi finis cœpit. appropinquare, omnium vitiorum, & fraudum genera increbescunt, justitia, fides, pax, charitas, misericordia, veritas &c. exulant; illud summè necessarium esse, nemo, nisi totus immersus sit densissimis tenebris, inficiabitur. Ubinam hodie iudicio practico, & spirituali agnoscitur, & probatur, quænam sit voluntas Dei bona, accepta, & perfecta, ut corpus, vel ipse homo sistatur hostia viva, sancta, & Deo accepta? Ubi Regnum? Ubi Provincia? ubi Civitas? in qua non audiantur acerbissimæ lamentationes, quod fraterna charitas undiq; quæratur; ea verò nullibi inveniatur. Ita hodie, (non dicimus apud Turcas, Tartaros, & Judæos) sed apud Christianos, refixit charitas, & abundat iniquitas, preslura, afflictio, & immisericordia. Verum audite, ait supremus Dominus & totius orbis judex, quid dicat iniquus judex. Deus autem non vindicabit electos suos vociferantes ad se die ac nocte? etiam si iram differat super ipsis, dico vobis, quod vindicabit eos citè. Veruntamen filius hominis cum venerit, num reperturus est fidem in terra? Luc. 18. v. 6. 7. & 8.

A 2

§. 2. Post.

§. 2. Postquam igitur in lectionibus, & disp. publicis Sp. S. gratiâ proposuimus Analysis, vel resolutiō nem præcedentium capitum Epistolæ ad Romanos ; nunc ejusdem Spiritus auxilio progredimur ad Cap. XII. in quo nobis exhibetur Ethica Christiana, vel doctrina, de spirituali Christianorum transformatione, qvæ fit renovatione mentis, & proponitur v. 2. (1) per ἄρτον. Καὶ μὴ συχναγόρεις τῷ αἰώνι τέτταρε. Et nolite conformari huic seculo. 2. Per ἄρτον. Αλλὰ μεταμορφώσθε τῷ αὐτογενάτῳ τῷ νέῳ, ὃ μὲν Sed transformemini renovatione mentis vestre. Propositio generalis totius materiæ, qvam Apostolus pertractat in hoc capite, consistit in his verbis : Transformemini renovatione mentis vestre, Sicut Georg. Mylius docet in suo comment.

§. 3. Hæc autem transformatio non est substantialis, qvâ res in aliam formam essentialē à priori diversam transmutatur, (nam Christianus transformatus spirituali transformatione, refinet idem numero corpus, & eandem numero animam) sed spiritualis ; non perfecta, perfectione graduum, sed perfecta, perfectione partium. Quis enim, ait Apolog. A. C. de Impletione Legis p. m. 91. satis diligit, aut satis timet Deum ? Quis satis patienter sustinet afflictiones à Deo impositas ? Quis non sepe dubitat, utrum Dei consilio, num casu regantur res humanae ? Quis non sepe dubitat, utrum à Deo exaudiatur ? Quis non sepe stomachatur, quod i mpy fortuna meliore uertuntur, quam in pý, quod pý ab impiis opprimuntur ? Quis satisfacit vocationi sue, quis diligit proximum sicut seipsum ? Quis non irritatur à concupiscentia ? Ideo Paulus inquit: Non quod volo bonum, hoc facio, sed, quod nolo, malum. Item: Mente seruo legi Dei. Carne autem servio legi peccati. Verum post hanc vitam Christus transformabit corpus no-

strum

Et rūm humile, ut conforme reddat corpori suo glorioſo,
ſecundum efficaciam, qvā potest etiam ſubjicere ſibi o-
mnia Phil. 3, 21.

§. 4. Subjectum QVOD transformationis spiritua-
lis, non ſunt illi, qvi conformant mores ſuos ad voluntatē
hujus mundi (nam hi ſunt infideles, mentes autem infide-
lium excœcavit Deus bujus ſeculi 2. Cor. 4, 4. à quo captivi
tenentur ad ipsius voluntatem) ſed ſunt Christiani fide ju-
ſificati, nam peccatorum remiſſione apud Deum impe-
tratā, homo statim incipit leſe firſtere hostiam vivam, ſan-
ctam, & Deo acceptam, ſuamq; animam ita alloqvitur:
*Benedic anima mea Jebova, & omnia interiora mea, nomi-
ni ſanctitatis ejus; Benedic anima mea Jebova, & ne obli-
viſcaris omnium beneficiorum ejus. Qui remittit omnes
iniquitates tuas, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Ps. 103.*

1. 2. 3. Quare Apoſtolus v. 1. fide justificatos alloqvitur,
vocat fratres ſuos ſpirituales, & obſecrat, per misera-
tiones Dei, ut firſtant corpora ſua hostiam vivam, ſanctam, &
Deo acceptam. Postquam igitur, ait Apol. A. C. fide juſti-
ficiati & renovati ſumus, incipimus Deum timere, diligere, &
expetare ab eo auxilium, gratias agere & obedire ei in affli-
ctionibus. Incipimus & diligere proximos, quia corda ba-
bent ſpirituales, & ſanctos motus.

§. 5. Subjectum QVO eſt mens, vel anima Christia-
ni apud DEUM justificati, qvatenuſ illa renovatur
tanquam potiſſima pars hominis, qvi mente renova-
ta, invocet, & celebret Deum i. Cor. 14, 15. nam trans-
formemini, inquit Apoſtolus, renovatione mentis uestrae.
Cum autem omnis transformatio inferat aliquam mu-
tationem; omnis autem mutatio habeat ſuum termi-
num à quo, & ad quem; transformationis ſpiritualis ter-

3 ppv

A 3

minus

minus alius est à quo, & alius est ad quem. Terminus illius à quo dicitur *vetus homo*, Rom. 6, 6. Eph. 4, 22. Col. 3, 9. *caro*, Gal. 5, 17. 19. Rom. 8, 7. 12. *exterior homo*, 2. Cor. 4, 16. *ad regia*, *impuritas* Rom. 6, 19. Terminus illius ad quem dicitur *novitas Spiritus*, Rom. 7, 6. *novus homo* Eph. 2, 15. 4. 26. *interior homo* Rom. 7, 22. *Spiritus*, Gal. 5, 17. *Spiritus mentis*, Eph. 4, 23. *Sanctimonia* Rom. 6, 19.

§. 6. *Modus transformationis spiritualis* consistit in renovatione mentis, nam Apostolus dicit: *Transformemini renovatione mentis vestre*, qvæ renovatio Tit. 3, 5. dicitur renovatio Spiritus Sancti, ipsa autem transformatione spiritualis non sit, exuendo veterem hominem totaliter, sed illum crucifigendo, mortificando, ejus regimen deponendo, exuendo, & abolendo, concupiscentiis, & suggestionibus pravis moriendo, carnis desiderio resistendo, ut peccatum non amplius dominetur in mortali nostro corpore Rom. 6, 12. induendo novum hominem, qui secundum Deum conditus est, qui renovatur ad agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum, Col. 3, 1. in *injustitia* & *sordiditate*, Eph. 4, 24. indies crescendo in agnitione Dei, in rectè judicando de virtute novitate, & Christianis virtutibus, in promptitudine & alacritate serviendi Christo, gubernando appetitu sensitivo, ejusq; pravis affectibus subigendis, & compescendis.

§. 7. *Forma generalis*, qvæ per transformationem in Christianum, renovatione mentis introducitur, est *novitatem* (ων), novitas vitæ, in qua Christiani fidei justificati ambulant. Rom. 6, 4. *novitatem* (μένειαν), novitas Spiritus, in quo serviant Domino nostro Iesu Christo Rom. 7, 6. Ibi enim est transformatio, qvæ fit renovatione, ibi

qvoque

qvoqve est novitas. Hæc autem forma in hac vita habet
sua incrementa, & per gradus introducitur, qvare quidam
Ch̄tistiani pueris, quidam vero viris, adultis, & perfectis
comparantur. Ebr. 5: 13; 14. Eph. 4, 14. Nullus enim Chri-
stianus eo usq; in hac vita pervenit, ut nullæ carnis, vete-
ris hominis, vel peccati originalis reliquiæ amplius in se
supersint, siquidem concupiscentia prava nunquam pror-
sus tota per transformationem spiritualem ejicitur, cum in
illis qui novum hominem induerunt, lucta spiritualis per-
petua maneatur. Rom. 7, 14. Gal. 5, 17. Paulus præclarissimi
laboribus charitatis, patientiae, & spei perfectus, se illam
formam, vel novitatem perfectam nondim consecutum
esse, aperte satetur; Phil. 3: 12. dicens: Non quod jam ac-
ceperim, sc. illam perfectam novitatem in summo gradu,
aut jam perfectus sum, sc. perfectione graduum, perse-
quor autem, experiens an apprehendam, qui apprehensus
sum a Christo Jesu. Hanc formam ignorat Philosophia;
vel omnis sapientia humana, qyia ignorat peccatum ori-
ginale, & spiritualem transformationem, qyæ fit renova-
tione mentis.

S. 83. Causa efficiens principalis transformationis spi-
ritualis est Spiritus Sanctus, qui nostris infirmitatibus suc-
currat, Rom. 8, 26. Spiritus Si dicit nos, c. 8. 24. ut pie &
sancte vivamus. Gentium oblatio accepta, & sanctifica-
ta per Spiritum Sanctum. Rom. 15, 16. cibus spiritualis in
regno Christi, est justitia, pax & gaudium per Spiritum
Sanctum. Fructus Spiritus est: Charitas, gaudium, pax,
patientia &c. Gal. 5, 22. 23. Causa minus principalis trans-
formationis spiritualis, qyæ fit renovatione mentis, est fi-
des, non quatenus apprehendit meritum Christi, & pro-
missiones Evangelicas, nam eo modo fides justificat,
non per modum dispositionis, sed instrumenti. Rom.

3. 22. 25. 26. 30. Gal. 2. 16. c. 3. 8. 22. 26. sed qvatenus opera-
tur per sapientiam spiritualem, & fraternalm charitatem,
in Christiano justificato. Gal. 5. 6.

§. 9. Per sapientiam spiritualem, qvâ Spiritus Sanctus mediante Scriptura nostrum intellectum illuminat, fides operatur, ut judicio practico magis ac magis agnoscamus, & probemus, qvænam sit voluntas Dei bona, accepta, & perfecta, non plus sapiamus, qvam oporteat sapere; sed sapiamus sobriè, vel ad sobrietatem, non judicemus ea esse bona, qvæ moraliter sunt mala, & proximo noceant; sed bona esse judicemus, qvæ moraliter bona, & Ecclesiæ, proximo, ac nobis prosunt, donoq; à Deo accepto non abutamur in peccandi licentiam, sed illud usurpemus ad Dei gloriam, Ecclesiæ, & proximi salutem.

§. 10. Per Charitatem fraternalm fides in transformatione spirituali, qvæ fit renovatione mentis, operatur, nou ut per illam formaliter, ejusq; opera actualiter apud Deum justificemur; sed ut aversemur malū, & bono simus agglutinati; studio, & sollicitudine, in nostra vocatione, non simus pigri, & cunctantes; sed Spiritu vel pio Zelo ferventes, in oratione perdurantes, necessitatibus Sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes, benedicamus perseqventibus nos, benedicamus, & non male dicamus, gaudeamus cum gaudentibus, fleamus cum flentibus, eodem animo simus affecti, non elatè de nobis ipsis sentientes; sed humilibus condescentes, apud nos ipsos non simus prudentes, nulli malū pro malo reddentes, procurantes bona coram omnibus hominibus, si fieri potest, & qvantū in nobis est, cum omnibus hominibus in pace vivamus: non nosmet ipsos ulciscentes; sed dantes locum iræ, inimicū esurientem cibantes, & inimico sitiendi porum præbentes, nō vincamur à peccato originali, ejusq;

pravi

vis suggestionibus. Sed charitate ex fide ortā, malum, vel peccati originalis pravas concupiscentias, superemus īdies, ne in nobis incipiat dominari. Nam qui dilit proximum, ille legem implevit. Rom. 13. 8. Dilectio proximi malum non operatur. v. 10.

§. 11. Finis transformationis spiritualis est, ut in die singulos magis & magis judicio práctico agnoscamus, & probemus, qvænam sit voluntas Dei bona, non plus sapiamus, qvam oportet sapere; sed sobriè sapiamus, malum aversemur, & bono simus agglutinati &c.

§. 12. Effectus spiritualis transformationis, qvæ fit renovatione mentis, non est, hominem justificare, vel à peccatis absolvere; Sed intellectu práctico magis magisq; probare, qvænam sit voluntas Dei bona, non plus sapere, qvam oportet sapere. &c. Hæc & similia dicuntur fines transformationis spiritualis, respectu intentionis, effectus vero illius, respectu executionis.

§. 13. Opposita transformationis spiritualis, qvæ fit renovatione mentis, sunt, judicio práctico non agnoscere, neque probare, qvænam sit voluntas Dei bona, accepta, & perfecta, plus sapere, qvam oportet sapere, judicare ea esse bona, qvæ moraliter sunt mala; sub ratione boni eligere, & amplecti, qvod Ecclesia, proximo, & nobis nocet, dono à Deo accepto abuti: vivere sine sensu legis: peccata manifesta, & multis cognita non agnoscere: à fratre Iæso, ob injuriam, & damnum ipsi illatum nolle objurgari, & reprehendi, neque petere, ut peccatum sibi condonetur; ablatum non restituere, in peccato permanere, malum non aversari. &c.

§. 14. Ipsam tractationem de transformatione spirituali, Apostolus orditum ab ultimo Christianorum fine,

B

qui est

qui est doξολογία τοῦ Θεοῦ, vel glorificatio Dei, quæ propter se expetitur, & in qua Christianus acqvescit, dum in omnibus suis actionibus, meditationibus, consiliis &c. ad hunc ultimum finem respicit. Si itaq; qværitur: cur Christianus debeat transformari renovatione mentis? Resp. Apostolus v. 2. ut probet, qvænam sit voluntas Dei bona, accepta, & perfecta. Si porro qværitur: cur transformari debeat renovatione mentis, ut probet qvænam sit voluntas Dei bona &c.? Resp. v. 1. ut corpus suum i. e. se totum, sifstat hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, i. e. ut Deum glorificet, vel in omnibus suis actionibus, institutis, meditationibus, consiliis &c. respiciat ad Dei gloriam, & Deum celebret. Qvam obrem disputationem suam, qvam cap. 1. inchoavit Apostolus, c. XI. claudit seqv. Arg.

Christiani canunt: Deo sit gloria in æternum.

E. Christiani sifstunt corpora sua hostiam vivam, sanctam, Deo acceptam.

Antec. probatur, nam qvando Paulus disputationem suam claudit hac δοξολογίᾳ: *Deo fit gloria in æternum*: Christiani Dei beneficia piè mediantes, grato animo agnoscentes, admirantes, & celebrantes, uno ore & pectore omnes respondent AMEN, qvod proponit v. ult. c. XI. *Deo fit gloria in æternum. Amen.* Nam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.

v. 1. §. 15. Conseqv. I. proponit v. 1. *Obsecro igitur vos fratres, per miserationes Dei, ut sifstatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo acceptam.* Ubi particula ἐν ostendit, Apostolum incipere à conseqvente. Per corpora autem synecdochice intelliguntur ipsi Christiani, sicut c. 13. per omnem animam omnis homo. In descriptione glorificationis Dei, alludit Apostolus ad veterem sacri-

ficandi

ficandi ritum. Nam Levitici sacerdotes in V. T. mactabant pecudes, & Deum celebrabant victimis cæsis; Christianus a. occidit, & mortificat intellectus pravas opiniones, cogitationes, meditationes, consilia &c. voluntatis malitiam, appetitus sensitivi affectus vitiosos, libidinum, iracundia, & vindictæ flammæ, omnē amorem inordinatum voluptatis, pecuniae, gloriae, & similia; *Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum affectibus, & concupiscentiis Gal. 5. 24. Spiritus facta corporis mortificant.* Rom. 8. 13.

Hostia autem Deo offerenda, dicitur viva, sancta, & Deo accepta. VIVA non à vitâ naturali, (nam hæc communis est omnibus hominibus; non autem omnes homines Deo offerunt hostiam vivâ; siquidem pleriq; in peccato permanent, eiq; serviunt cum delectatione. In homine autem spiritualiter mortuo, non potest esse aliquâ ad bene agendum in rebus spiritualibus facultas) sed à vitâ spirituali, & gratiæ, qvâ Christianus vivit Deo, per Iesum Christum Dominum nostrum Rom. 6. 11. nam sanguis Christi emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Hebr. 9. 14. Nemo igitur Christianorum sibi vivit: *sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur.* Rom. 14. 7. 8. Nam pro omnibus Christus mortuus es, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus es, & resurrexit. 2. Cor. 5. 14. Ante conversionem homo in peccatis est mortuus, est insipiens, incredulus, errans, & serviens desideriis, & voluptatibus variis, in malitia, & invidia degens, odiosus, & alios odio prosequens. Tit. 3. 3. Conversione autem factâ, vitæ novitate, & sanctitate demonstrat, se Spiritus Sancti virtute, & verbi divini efficacia esse vivifi-

catum, vivumq; lapidem factum domus spiritualis, i. Pet. 2. 5. & vitam Christi in se gerere.

SANCTA dicitur non à sanctitate externâ, hypo-criticâ, & simulatâ, qvalis est illorum, qui ex externo ore ca-nunt: Deo sit gloria in æternum; in corde autem fovent malitiam, dolum, insidias, multaq; mala machinantur, sed à verâ, & internâ sanctitate. Sunt enim Christiani sa-cerdotium sanctum, ad offerendas spirituales hostias. i. Pet. 2. 5. Apoc. 1. 6. ortas ex corde sincero, & sanctifica-tas Spiritu Sancto, ac sanguine Christi. Nam Jesus, ut san-ctificaret populum, per suum sanguinem, extra portam passus es. Hebr. 13. 12. Quanquam igitur bona opera, dicit Apol. A. C. p. 95. sunt in carne nondum prorsus renovata, que re-tardat motus Spiritus Sancti, Gaspergit aliquid de suâ im-mundicie, tamen propter fidem sunt opera sancta, divina, sa-crifica, Et politia Christi regnum suum ostendentis coram hoc mundo.

DEO ACCEPTA dicitur à fide in Christum. Nam inchoata legis impletio sicut docet Apol. A. C. p. 91. placet Deo non propter scipsum, sed propter fidem in Christum. Gra-tiarum actio Deo accepta es. per J. C. i. Pet. 2. 5. Per Chri-stum offerimus hostiam laudis semper Deo. Ebr. 13. 15. Nisi i-gitur ex fide proficiscatur nostra hostia, vel gratiarum a ctio, Deo illa accepta esse nequit. Nam impossibile est Deo placere absq; fide; credere oportet accedentem ad Deum. Ebr. 11. 6. nam fide habemus accessum ad gratiam, in quâ stamus. Rom. 5. 2. Qui igitur non est in Christo, illius hostia non est viva, sancta, & Deo accepta, sed simulata, & hypocriti-ca. Nam in foro iustificationis Personæ, ait Joh. Gerhar-dus c. 5. T. 4. de Bonis operibus, §. 19. Deus primùm cum peccatore ad tribunal suum vocato agit, pro rigore iustitia

sua,

sua, severissimè ab eo exigens perfectissimam cum lege conformatitatem, nec eundem nisi per fidem iustitia Christi ornatum, justum reputat, in filium adoptat, & Spiritu adoptionis donat: In foro autem approbationis bonorum operum, Deus cum homine agit, non ut cum servo, aut reo, sed ut pater cum filio, nam propter personam fidei sibi reconciliatam primitias novæ obedientia, ex gratia paterna in optimam partem interpretatur.

§. 16. II. Suadet (a) ab honesto, ut Christiani sstant corpora sua hostiam vivam, sanctam, Deo placentem; Nam vocat illos fratres spirituales, unius parentis filios, & heredes, ejusdemque; fidei socios, quorum est uno ore & pectore, pro acceptis beneficiis, Deo filiale amorem, honorem, & debitum obsequium præstare. Neque tantum illos vocat fratres, sed etiam obsecrat. Non enim dicit; Ego ex officio, & auctoritate Apostolicâ, quam accepi à Domino nostro Iesu Christo, vobis istius nomine seriò mando, & injungo; sed leni admonitione, & fraternâ obsecratione, illos ad Deum colendum invitare mavult, quam imperiosis, & rigidis mandatis, atque morosis increpationibus. Finis hujus obsecrationis amicæ & fraternæ est, ut peccati servitute abjectâ, non ex metu, sed amore, non coacte, vel invitò; sed motu spontaneo, suavissimâ quadam delectatione, Christiani se totos Deo consecrent, suasque; actiones, studia, consilia &c. referant ad Dei gloriam, tanquam ad ultimum finem, & Deo servire, habeant pro summâ libertate. Nam vere credentes, scriptum est in F. C. de bonis operibus p. 589. quatenus renati sunt non ex coactione, aut compulsi legis, sed libero, & spontaneo spiritu, præstant Deo obedientiam: quandoquidem non amplius sublege sunt, sed sub gratia. Qvare Apostolus illos obsecrat

per miserationes Dei, qvarum participes facti sumus in Christo. Qvâ obsecratione nulla potest esse sanctior, nulla sublimior, nulla efficacior. Qvis igitur cum Augustino h. l. non exclamaret? Omni momento, O Domine, me tibi obligas, cum omni momento mibi tu magna beneficia praes'es. Sicut ergo nulla hora est, vel punctum in omnivita meâ, quo tuo beneficio non utor, sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos, meâ memorâ.

(β) a necessario, nam hostia illa viva, sancta, & Deo accepta, est Christianorum rationalis cultus, qvôd proponit v. i. ubi cultus, qvo Deus est colendus, dicitur rationalis, non qvôd ad rationis humanæ trutinam sit instituendus, nam hæc in spiritualibus est cæca, & ignorat, qvænam sit hostia viva, sancta, & Deo accepta, qvia ignorat, qvænam sit voluntas Dei bona, accepta, & perfecta; nam animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere. I. Cor. 2. 14. non intelligit, neq; exquirit Deum Rom. 3. 12. non probat Deum in agnizione habere Rom. 1. 28. Intellectus qvidem hominis regnati Sp. S. gratiâ illustratus, ex verbo divino cognoscit principia conclusionum, & dicitur ratio illuminata, qvando ex principiis è verbo divino cognitis, concludit. Non autem eo modo ratio fit norma judicandi de rebus spiritualibus, nam de mysteriis fidei, & cultu Deo offerendo, non judicat è suis principiis, sed è scriptura Sacra; siquidem norma rerum spiritualium, juxta qvam Christianus concludit, non est humana ratio, sed divina revelatio. Alio igitur modo cultus noster, vel hostia Deo offerenda rationalis dici neqvit, qvam qvôd sit interna, sincera, spiritualis, & incorrupta; sicut lac spirituale, & incorruptum I. Pet. 2. 2. dicitur νυκτος rationale; qui enim cultus, h. l.

dicitur

dicitur rationalis, illum Petrus vocat in Ep. priori c. 2. 5.
spiritualem hostiam, Deo acceptam per Jesum Christum;
Quæ hostia consistit in interna mentis operatione, vera
cordis contritione, malorum affectuum mortificatione,
beneficiorum divinorum agnitione, meditatione, admi-
ratione, celebratione, piis precibus, vitæ novitate, & si-
milibus. Hunc cultum ignorant filii hucus seculi, qui
nolunt transformari renovatione mentis, omnesq; hy-
poeritæ, qui in Ecclesia visibili externo saltè ore & ge-
stu, non autem sincero pectore Deum colunt, & delectan-
tur cultu electio, contra expressam Dei voluntatem.
Nam in præceptis Domini jubemur ambulare Ezech. 20.
19. In illis, qui non ambulant, frustra Deum colunt, Matt.

15. 9.

§. 17. III. Probat seqventi Argumento:

Christiani transformantur renovatione mentis,

E. Christiani fistunt corpora sua, hostiam vivam,
sanctam, & acceptam

Consequ. probatur, nam finis *ultimus*, cuius intuitu
transformatur Christianus renovatione mentis est, ut
Deum glorificet, fistat corpus suum hostiam vivam, san-
ctam, & Deo acceptam. Antec.

§. 18. 1. proponit v. 2. *Transformemini renovatione
mentis vestrae*. Ubi est singularis emphasis in voce *μετα-
ποέσθε*, vel transformemini, quia significat h. l. mentis,
per peccatum corruptæ, renovationem, & mutationem
quasi in aliam formam.

v. 2.

§. 19. 2. Suadet à *necessario*, nam qui non trans-
formatur renovatione mentis, is non potest agnoscere,
atq; probare, quid bonum, quid acceptum, quid perfe-
ctum juxta Dei voluntatem, ille conformat, & accom-

modat

modat sese huic seculo, qvod dissuadet ab *inhonesto* v.
eod. Et ne *configuremini huic seculo*. Ubi per hoc secu-
lum intelliguntur mores filiorum hujus seculi, qui intel-
lectu pratico agnoscere, & probare nolunt, qvid juxta
Dei voluntatem sit bonū, qvid Deo acceptum, qvid per-
fectum, qvia amplectuntur desideria carnis ; desideria
autem Spiritus, & mundi futuri susq; deq; habent. Chri-
stianus autem Deo serviens custodit sese ab hoc seculo,
suaq; vocatione indignum esse censem, ad figuram hujus
seculi sese accommodare, nam *χριστος mundi*, vel *omne quod*
est in mundo concupiscentia carnis est, & *concupiscentia ocu-*
lorum, & *superbia vite*, qua non ex Patre, sed ex mundo est
1. Joh. 2.16. Mundus autem, qvid aliud est, quam Diabo-
lorum hospitium, & regnum, atq; impiorum receptacu-
lum, qvorum *χριστos* est deforme, & foedum in oculis Dei?
Nam amicitia mundi, Dei inimicitia est Jac. 4.4.

- §. 20.3. Probat, nam *finis subordinatus*, vel *intermedius*
transformationis spiritualis est, ut Christiani probent,
qvānam sit voluntas Dei bona, accepta, & perfecta, qvod
v.2. 1. proponit v. 2. ubi verbum *domiūū* non vult, ut volun-
tatem Dei nudè cognoscamus, sicut illam cognoscunt hy-
pocritæ ; sed ut intellectu pratico illam agnoscamus,
atq; ita probemus, ut illam piè admittamus, & seqvamur,
tanquam yera sanctitatis normam, juxta qvam Deus vult
coli, sibiq; sacrificium Eucharisticum offerri, inq; omni
pietatis exercitio, obedientiâ internâ, & externâ, ad illâ
tanquam cynosuram studiosè omni loco, & tempore re-
spiciamus. *Nā voluntas DEI nostra est sanctorum*. 1. Thess.
4.3. Quæ autem superne est sapientia, primū quidem casta est,
deinde pacifica, moderata, tractabilis, plena misericordia, &
fructibus bonis, absq; dijudicatione, sine simulatione. Jac 3.17.

Qvi

Qui igitur vult Deum rectè colere, vel ei hostiam vivam,
sanctam, & acceptam sistere, ille non probat, quid bonum,
qvid acceptum, qvid perfectum sit ex opinione homi-
num, vel qvid sibi commodum, sive rectum videatur: sed
qvid bonum, qvid acceptum, qvid perfectum sit, juxta
Dei voluntatem. Piorum est, ait Balduinus ad v. 6. cap.
14. Ep. ad Rom. in omnibus ad voluntatem Dei respicere, et-
iam in ipsa morte, ut ipse glorificetur in nobis. Nisi enim
ad hanc normam actiones nostræ dirigantur, aut errare
in bonorum operum judicio mentes humanas necesse est,
aut hæsitare, qvorum utrovis facto, laus bonitatis operi
cuilibet confessim perit, qvicq; enim non est ex fide
peccatum est, certitudo autem in conscientia absq; fide
locum non invenit. 2. Probat, nam qvi intellectu practi-
co non agnoscit, neq; probat, qvænam sit voluntas Dei
bona, & accepta, ille non sapit sobriè; sed plus sapit, qvàm
oportet sapere; ille recedit à normâ. actionum humana-
rum, & vel lucri, vel inanis gloriæ, vel alterius vanitatis
gratiâ, Dei voluntate depositâ, non qvod Christi, sed qvod
suum est, sapit. Spiritualis autem transformationis finis
est, ut Christianus non plus sapiat, qvàm oportet sapere;
sed sapiat ad sobrietatem.

S. 21. Prius dissuadet ab inboneſto, nam, qvi plus sa-
pit, qvàm oportet sapere, ille fiduciâ propriæ sapientiæ,
vel stulta persuasione sapientiæ, arroganter de se sentit,
neq; observat, qvod Apostolus h. l, non privatâ auctorita-
te, sed per gratiam sui Apostolatus, omnibus dicit: neq; ve
sapid, sicut Deus partitus est mensuram fidei, vel pro mo-
do suorum donorum, à Deo ad aliorum utilitatem acce-
ptorum, qvia intra vocationis suæ terminos leſe non con-
tinet, sed modestiæ limites transreditur, sibiq; tribuit,

C

acarro.

ac arrogat, qvod non habet; Christianus autem indecorum esse censet, Apostoli vocem non audire, & plus sapere, qvam oportet sapere. Nam sapere est non nimium sapere. Qvisqvis plus justo non sapit, ille sapit. Qvisqvis verò sapit plus justo, is non cogitat, qvòd dona sua habeat non ex se, sed ex Dei gratuitábonitate, & qvòd Deus nemini omnia contulerit; sed dona sua ita distribuerit, ut singulis sua portio obvenerit, non ad inanis gloriæ ostentationem, sed ad mutuam corporis mystici ædificationem.

§. 22. *Posteriorius* suadet ab honesto, nam qvi sapit ad sobrietatem, vel cum vero temperamento, juxta voluntatem Dei in Scriptura revelatam, is studiosè amplectitur, qvod Apostolus per gratiam Apostolicam non aliquibus, sed omnibus dicit, sēq; suis donis, exlarga Dei manu acceptis non extollit, neq; effert; sed gratâ, humiliq; mente in se agnoscit, & sapit, sicut Deus partitus est unicuiq; mensuram fidei, vel pro modo donorum à Deo acceptorum, ipsaq; dona non abscondit, sed quotidianè excitat, & confert in Dei gloriam, & proximi utilitatem. Qvod i. proponit v. 3. *Dico autem per gratiam, quemibi data est, cuivis versanti inter vos; ne sapiat plus, quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem, prout cuig; Deus partitus est mensuram fidei.* Ubi Apostolus docet, qvod Spiritualis sapientiæ finis sit, cognoscere Deum. è verbo revelato, & intra metas hujus verbi sēcē modest continere.

§. 23. (2) Illustrat, & amplificat per ὀπόσων, vel similitudinem, ut ostendat, qvod distributio donorum, quibus Christiani in suis functionibus Ecclesiasticis, certo Dei consilio à Spiritu S. donantur, non sit uniformis, & ut qilibet sua dona conferat in communem ecclesiæ, vel

cor-

corporis mystici utilitatem. Nam sicut in corpore humano, (α) est unitas, (β) membrorum diversitas, (γ) officiorum discrepancia, vel distinctio in istius membris, (δ) aptitudo cuiusq; membra ad suum officium exequendum, (ϵ) ipsa membrorum operatio, ut corpus sanum, atque integrum conservetur; ita Ecclesia, vel corpus Christi est unum, habens sua membra, quæ habent suas functiones, & per dona à DEO accepta apta sunt ad munus sibi commissum rite obserendum, atq; operantur strenue pro salute corporis mystici, & DEI gloria, quod
(1.) Proponit v. 4. Et s. Quemadmodum enim in uno corpore multa membra habemus, membra autem omnia non habente eandem actionem, sic multi, i.e. omnes fideles unum corpus sunt in Christo, singulatim autem alii aliorum membra. Ubi Apostolus suadet ab honesto, ut Christiani, unius corporis mystici membra, cum Christo, per fidem arctissimo vinculo conjuncti, omni tempore & loco diligenter expendant, quid sibi pro mensura fidei, & doni vocationis suæ conveniat, & ad totius corporis mystici, vel Ecclesiae Christianæ incolumitatē conservandam, studia sua in vera pietate referant, juxta illud 1. Petr. 4. 10. Unusquisque sicut accepit donum, ita aliis in alium illud administrantes, ut boni dispensatores multiformis gratiae Dei. Nam unicuique data est gratia, pro mensura doni Christi. Eph. 4. 7.

§. 24. (2.) Amplificat per *āsilālēzias*. Nam Christiani membra unius corporis mystici, habent diversa dona, secundum gratiam, quæ ipsis data est; Habentes autem dona diversa secundum gratiam, quæ ipsis data est, sive Prophetiam, secundum analogiam fidei, sive ministerium, in ministerio, unum corpus sumus cum Christo; non autem eandem functionem habemus, sed suo quisque loco spartam,

quam natus est, ornat. Quod (1.) proponit v. 6. & 7. Ubi Apostolus descendit ad speciales fines sapientiae Spirituallis, spectantes ad certas personas, in Ecclesia, vel docentes, vel ministrantes, & duo profert genera functionum Ecclesiasticarum, ut ostendat, diversa esse dona, & functiones in Ecclesia, & unusquisq; suo dono in illius ædificationem rectè utatur. Primum genus dicitur *Prophetia*, vel donum explicandi scripturā, sive munus docendi, secundum analogiam fidei, vel articulorum Religionis Christianæ consensum, & harmoniam normæ suæ exquisitè congruentem. Secundum genus est *διάνοια Ministerium*. Ubi per dona non intelliguntur *χρεῖα* omnibus Christianis, vel salvandis necessaria; sed dona peculiaria personis Ecclesiæ deservientibus ad communem utilitatem, & ædificationem collata. Hec sunt, inquit David Rungius, facultas quædam, vis, ac promptitudo dextræ, & recte id in Ecclesia expediendi, ad quod vocatio unumquemq; sua obstrinxit. De ejusmodi donis Apostolus agit in i. ad Cor. c. 12. pleniori commemoratione, & Eph. 4. v. 7. Omnia autem illa dona efficit unus, & idem Spiritus dividens singulis, prout vult i. ad Cor. 12. ii.

§. 25. (2.) Amplificat per μεταρρύθμισην utriusq; doni: nam primò proponit duas species Prophetiæ. Altera est v. 7. donum docendi: Altera est donum exhortandi. De priori dono dicit v. 7. *sive qui docet*, vel functionem docendi v. 8. habet, eam habeat in doctrina sc. quæ est fidei analoga. De posteriori dono dicit, v. 8. *sive qui exhortatur in exhortatione* sc. utatur suò dono à Deò accepto, & in suâ functione recipiat ad finem suæ vocationis, & quotidie diligenter perpendat, quanta sit Hominum securitas, & oscititia in Religionis, & salutis negotio, & quo pacto summè sit

necess-

necessarium, ut argumentis, atq; stimulis piarum exhortationum excitentur ad Deum recte colendum.

§. 26. Secundò proponit tres species diuinis vel Ministerii. Prima species Ministerii est distribuentis Eleemosynas. Secunda species Ministerii est ~~ad~~ auxiliis, vel illius, qui habet functionem in Ecclesia, & ei præst, ut Ecclesia habeat idoneos Ministros, Omnia siant ordine, & concordia Christiana servetur in illâ. Tertia species Ministerii est illius, cui commissa est functio specialis misericordiæ, in curandis ægrotis, calamitosis, vulneratis, &c.

§. 27. De prima specie Ministerii dicit Apostolus: Qui distribuit, scilicet eleemosynas, vel fungitur officiō distribuendi eleemosynas, distribuat eas in simplicitate, id est absq; hypocrysi, dolo, & acceptione personarum, quod proponit v. 8. Qui distribuit, in simplicitate.

§. 28. De secundâ specie dicit: Qui præst, ille diligentiâ, & solitudine præsit, is sedulus in executione, & debitâ curam agat fidei suæ commissorum; quod proponit v. eodem: Qui præst, diligentiâ. Ubi Apostolus videtur respicere ad officium eorum, qui externam Ecclesiæ politiam gubernant, & disciplinæ Ecclesiasticæ custodes sunt. Horum officia 1. Cor. 12. v. 28. dicuntur ~~nu~~ ~~governatores~~ gubernationes. Gubernator Politicus, sive Ecclesiasticus, ait David Chytræus in explicatione hujus loci, sit in officiō diligens, sedulq, fidelis, ut Josaphat 2. Paral. 19. est diligens in omnibus partibus gubernationis, constituit Ecclesias, & judicia Politica, Consilia, gerit bella. Paulus est diligens Doctor, pleriq, Principes negligunt præcipuas partes sui officii, curam Ecclesiarum, iudiciorum, disciplinae, studiorum, doctrinae, defensionem innocentum, pœnas nocentum, & sunt ignavi; vel parerga, aut pernicioſa agunt, edificant, venantur, instruunt pom-

pas, & convivia, movent bella non necessaria. Hi non pre-
funt diligenter. Quemadmodum autem nulla societas
absq; salutari disciplinâ potest esse felix, atq; diurna;
ita in visibili Ecclesia, ordo servari nequit, contra mundi,
& Diaboli machinationes, absque piâ disciplinâ, quam
Christus vocat potestatem ligandi. Matth. 16. 19. Nam
tibi, inquit, dabo claves regni cœlorum, & quicquid ligaveris
in terrâ, erit ligatum in cœlis. & Job. 20. 23. Quorum-
cunque retinueritis peccata, retenta sunt: Quæ intelligi ne-
queunt de Magistratus officio; sed spectant ad munus Apo-
stolorum; & ministrorum Ecclesie. Quamobrem Chri-
stus, Matth. 18. 18. Si verò non audierit eos, dic Ecclesie. Est
enim appendix prædicationis verbi & Sacramentorum,
& medium, per quod Ecclesia Christi liberatur à fermen-
to, & publicis scandalis, atq; prædicatio verbi, & Sacra-
menta vindicantur à contemtu, & profanatione, ipseque
homo, qui fratrem se vocari vult, & contumaciter in suâ
securitate, & vitâ scandalosâ permanet, pudefiat, & ad
meliorem mentem revocetur; Cæteri verò timorem
habeant, & irâ divinæ gravitatem adversus impoenitentes
rectius discant, inq; verâ vitae sanctimoniam Christo servi-
re, & i eo permanere studeant.

§. 29. Magistratus quidem utriusq; tabulæ custos est, ut
in Ecclesia omnia siant ordine, & decenter; praxis autem
disciplinæ Ecclesiastice non pertinet ad Politicum tribu-
nal; sed à Christo concedita, & commissa est Ecclesie.
Hæc post privatas, & publicas admonitiones contumaci-
ter spretas, & insuper habitas, juxta illud Christi mandatū,
*Si verò Ecclesiam non audierit, sit tibi, velut Ethnicus, & publi-
canus, potestatem sibi divinitus datam, nomine Christi,
publicâ sententiâ exercet,* Multum enim interest Eccle-

siæ

siæ Christianæ, ut Christianus sciat, cum quo fraternè, & sine scandalo conversetur, & edat. Nam hortor vos, fratres, ait Paulus Rom. 16. 17. 18. ut observetis disfidiorum & scandalorum auctores, & declinetis ab eis. Nam qui ejusmodi sunt, Domino nostro Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri. & i. Cor. 5. II. Nunc autem scripsi vobis, ne commisceremini, si quis, cum frater nominetur, sit scismaticus, aut avarus, aut idololatra, aut convitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi ne edatis; 2. Thess. 3. 6. Denunciamus autem vobis fratres, per nomen Domini Jesu Christi, ut subducatis vos, ab omni fratre, qui inordinate se gerit. & v. 14. Si verò quis non auscultat sermoni nostro, per Epistolam hunc significate, & ne commercium habeatis cum eo, ut eum pudeat. & 2. Joh. v. 14. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis ipsum domum, nec Ave ipsi dixeritis. i. Cor. 5. 13. Tollite malum ex vobis ipsis. i. Tim. 5. 22. Ne communices peccatis alienis.

§. 30. Potestas autem ligans habet suos gradus. Primus gradus est concilio legis, quâ offensus offendenti ex lege Dei ante oculos ponit, & denuntiat intolerabilem iram, quam Deus peccatoribus minatur. Nam cavete vobis, inquit Christus Luc. 17. 3. si peccaverit in te frater tuus, objurgae eum, & si resipuerit, remitte ei. Ubi non queritur, an lädens velit, vel debeat remittere ei, quem verbis, & operibus offendit: vel an velit, vel debeat dicere: Si te offenderim, peccatum mihi condones. Nam haec est bona Dei voluntas, ut lädens placidè objurgationem, & correctionem admittat, peccatum agnoscat, verè doleat, quod fratrem offenderit verbis, vel operibus, atq; petat, sibi peccatum condonari. Nam correptio fraterna ordinatur ad bonum, vel emendationem fratri delinquentis, & est

actus

actus charitatis; vera autem charitas non querit proximi favorem, sed salutem. *Magnum bonum est*, ait Chrysostomus, *ferre reprobationes*. Qui igitur Minister Ecclesiæ non veretur gloriosè dicere, vel scribere, lædenterem velle, vel voluisse remittere læso; lædentem autem juxta bonam DEI voluntatem non corrigit, neque rectius informat, ut ipse peccata manifesta agnoscat; is Christi regulam, & expressum DEI mandatum invertit, suoq; intempestivo silentio, & conniventia mala facienti consentiens, & opera tenebrarum dissimulando fovens, ne venter, vel inanis gloria detrimentum capiat, sese turpiter prostituit, atq; apud pias mentes suspectum reddit, quod sit adulator, & hypocrita, qui non Domino nostro Jesu Christo, sed suo ventri servit, neq; perpendit, quod scriptum est, Esa. 58.1. Ezech. 13. 18. cap. 33.7. Rom. 1. ult. Eph. 5.7. *Si autem pietas, ait Lutherus, nobis cordi esset, pluris faceremus Christi praeceptum, quam omnia bujus vita commoda.* Quare Chrysost. homil.2. aduersus Iudeos: *Quisq; proximum corrigat, nisi verò hoc faciamus, à quo cung; commissa prævaricatio commune quoddam, & intolerabile damnum civitati adserit.*

§. 31. Secundus gradus est, privata separatio, vel suspensio ab usu Sacramentorum. Nam qui nolunt juxta DEI voluntatem admittere disciplinam, vel increpationem ob manifesta peccata, & pertinaciter sine sensu legis vivere malunt, quam peccata agnosere, dolere, & verè resipiscere; illi animam suam odio habent, & semetipso indignos reddunt participatione bonorum spiritualium. *Ne detis, inquit Servator mundi, Matt. 7. 6. quod sanctum est canibus, neq; abjeceritis margaritas vestras ante porcas.* Quare nulli ministro Ecclesiæ data est potestas parendi pec-

catis

tatis alienis, & sanctum præbere illis, qui in peccatis mani-
festis permanere non erubescunt: Disciplinâ hic opus est,
non autem absolutione, & consolatione. *Disciplinam*
autem, ait Augustinus, Sermone 16. in Evang. Matthæi,
cum opus est, demus, ne per solutionem disciplina crescat ne-
quitia, & incipiamus propter DEUM accusari.

§. 32. Tertius gradus, vel suprema pœna Ecclesiasti-
ca, est Excommunicatio. Die dritte und höchste Kirchen-
Straße scribit David Chyträus, ist der öffentliche Bann/da
man einen öffentlichen/ halsstarrigen / unbußfertigen Sünder/
nach vorhergehender Vermahnung / und gehaltenen ordens-
lichem Prozeß/öffentlich mit Nahmen/als einen halsstarrigen/
ärgerlichen / verdammten/ und verbanneten Menschen abkün-
diget / und dem Teuffel übergiebet / daß er also von der Christi-
lichen Kirchen Gemeinschafft aufgestossen / und ganz abge-
schnitten / für einen Heyden und Zöllner gehalten werde / auf
daß Gottes Zorn gegen die Unbußfertigen / von ihm und an-
dern erkant/uis daß er durch diese Straße zu warhaftiger Busse/
und Bekehrung zu Gott gebracht werde. Diese Straße hat
unser HERR Iesus Christus selbst geordnet und eingesetzt/
und den Predigern und Seelsorgern gebürlich und ernstlich zu
gebrauchen befohlen. Matth. 18. c. 16. Joh. 20. 2. Cor. 6. Ziehet
nicht am freimden Joch mit den Gottlosen / ic. 1. Cor. 5. Das
ganze Capittel / welches Beschlüß ist : Thut von euch selbst
hinaus / wer da böse ist.

§. 33. Quis vero hac decrepitâ mundi senectâ, in
tanta Christianorum securitate, & inter tot manifesta
scandala, injurias, contentiones, convitia, imprecacio-
nes, &c. animum ad ea attendit. Ad injurias, & damnum
inferendum hodie sunt faciles; verum ad peccata mani-
facta agnoscenda, & correptionem, vel objurgationem
fraternam placide ferendam, pacem, & concordiam juxta

D

DEI

DEI voluntatem, quæ suprema est omnium lex, humanitatem requirendam, & ad restituendum injustè ablatum sunt valde duri, & difficiles, nudam ~~aperturam~~ post damnum, & injuriam illatam, atque scandalata, tandem urgentes, quamvis neminem latere possit, lasum absq; DEI offensione, Ecclesiæ damno, & salutis cum suæ, tum lædentis periculo, in illam, nisi præmissis juxta DEI voluntatem, actionum humanarum infallibilem normam, præmittendis, non posse consentire. Christus est supremus Dominus, apud cujus tribunal brevi omnes sistemur. Scriptum enim est: *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mibi se flectet omne genu.* Uniuscujusq; hominis dies ultimus longè esse non potest, quia brevis est vita humana. Cur igitur Domino gloriae, & Regiomniū Regum non obsequimur; sed peccata, & scandalata undiq; dominari patimur? Cur sapientia spirituali, quæ probatur, quænam sit bona, accepta, & perfecta DEI voluntas, & nihil est salutarius, contemptim habitâ, carnis sapientiam, quæ est inimicitia adversus DEUM, & legi DEI non subjicitur, nec potest subjici, amplectimur? O tristissimam Christianorum sortem, in tanta securitate, in tantis tenebris, & veræ pietatis contemptu viventium!

§. 34. De tertia specie ministerii dicit: *Qui misericordetur, is in hilaritate misereatur; quod proponit v. eod. Qui miseretur, in hilaritate.* Ubi objectum misericordia sunt pauperes, ægroti, calamitosi, ab Ecclesiæ hostibus vulnerati, &c. Officium autem miserentis est, non torvo vultu calamitosos aspicere, sed animi alaritate illos ad se allicere, curaque fideliter suscipere, curare, consolari, & erigere. Nam misericordia laus perit, quando invito animo illa erga egenos, & afflictos exer-

cetur

cetur. Vera, ait Chrysostomus, eleemosyna est, sic dare, ut gaudeas, te dare putans, te accipere magis quam dare. Non enim tam pauperibus, quam nobis profumus, plura accipientes, quam dantes. Quod enim pauperibus Christum representantibus datur, Christo datur; Christus autem, se liberalitate vincit, non patitur; sed plura dat, quam accipit. Consentaneum autem est, inquit David Chytræus, per ^{ea} etiam intelligi viduas, & ministros curandis agrotis, secundum veteris Ecclesia morem, praefectos, ut alacri, & prompto animo, sine morositate, agris, & afflictis, officia debita exhibant.

§ 35. Quibus propositis divinas aures orando pulsamus, & devote precamur, ut Deus Domini nostri Iesu Christi, pater ille gloriae, der nobis Spiritum Sapientiae, & revelationis, in agnitione ipsius, illuminatis oculis mentis nostræ, ut sciamus, quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiae gloriae hereditatis ejus in sanctis Eph. 1: 17. 18. ut impleamur agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia, & intelligentia spirituali, ut ambulemus, sicut Domino dignum est, Col. 1. 9. & ostendamus ex bona conversatione opera nostra cum mansuetudine sapientie, Jac. 3: 13. & verbum Christi in nobis habitet abundantanter, in omni sapientia docentes, & commone facientes nosmet ipsos, & quicquid egerimus, sermone, aut facto, in nomine Iesu faciamus, gratias agentes Deo, & Patri per eum. Col. 3: 16. 17.

Ad Pium, Modestum & eruditum Juvenem,
DN. JOHANNEM SCHRODERUM, Rostochiensem,

publicè responsorum de-

Reformatione, quæ sit renovatione mentis,
ex Paulo Rom. XII. 1, 2. 3.

Quām vocet ad vitæ novitatem buccina Pauli
Viscera perq; sonet nos miserantis epos.
Hoc tibi nunc studium OSCHRODERE cathedra docebit,
Nec minus hoc vitæ porro docebit opus.

Sic

Sic facias! semper sis victima viva tonantis
Atq; reformato sis magis atq; magis,
Non tam verba juvant; quam fulgida vita docentis
Candida quæ cunctis ambitione procul.
Non edicta valent tantum, quam vita: sequntur
Ut lituos, mores sic quoq; castra ducunt.

AUGUSTUS VARENIUS.

Ingenii specimen nuper, SCHRÖDERE, dedisti
WITBERGÆ doctum; quod meminisse juvat.
Non satis est: laudesq; tuas sed & ALMA ROSARUM
Dispensare cupit, Praeside Theologo
COBABO. Certa: De tantis gratulor ausis,
Et jubeo auspicio cedere cuncta bono.

Joannes Bacmeisterus, D. Med. & Sup. Math.
P. P. Facult. Med. Senior & p. t. Decanus.

Emper plus ultra tendis dilecte SCHRÖDERE,
sicq; Patris morbo pectora fessa levas.
WITTEMBERGA tuos laudat præclara labores,
atq; duos testes sedulitatis habet.
Tertius at VARNO magno nunc sistitur ausu.
Perge ita, spes Patriæ! Vive, valeq; diu.

In Dn. Affini suo per charo, gratulab. lmg, applaudie
M. Job. Mauricius Polzius, ad D. Georgi Eccles.

Mulus, à Pueris Magni, Schrödere, fuisti
Filius, ecce Patris: Sedulus atq; pius
Hinc scandis Cathedrum cum Praeside Theologorum
Lucine Cobabo, hoc sedulitatis opus.
De Cathedra Templi, quoties Tu Dogmata sancta
Dixisti: Certum hoc est Pietatis opus.
Cum Pietate Tua conjungere Sedulitatem.
Perge: Et Philosophus, Theologusq; clues.

Piissimi, & de Ecclesia Dei merentissimi Patriæ,
Filio persimili scr. L. M. Q.

M. Henricus Carmobn, Eccles. ad D. Nicol.

•••(0)••

cetur. Vera, ait Chrysostomus, eleemosynas ut gaudeas, te dare putans, te accipere magis quam enim tam pauperibus, quam nobis profumantes, quam dantes. Quod enim pauperibus praesentantibus datur, Christo datur; Christi liberalitate vincit, non patitur; sed plura dat. Consentaneum autem est, inquit David Chrysostomus, intelligi viduas, & ministros curandis dum veteris Ecclesia morem, prefectos, ut aliam animo, sine morositate, agris, & afflictis, offendant.

§ 35. Quibus propositis divinas aures oratione devotè precamur, ut Deus Domini nostri Iesu Christi gloriae, de nos Spiritum Sapientiae, & revelationis ipsius, illuminatis oculis mentis nostrae, ut sciamus vocationis ejus, & quæ divitiae gloriae hereditatis Eph. 1:17. 18. ut impleamur agnitione voluntatis sapientia, & intelligentia spirituali, ut ambulemus dignum est, Col. 1. 9. & ostendamus ex bona connostra cum mansuetudine sapientiam, Jac. 3:13. & in nobis habitet abundanter, in omni sapientia discernentes nosmet ipsos, & quicquid egerimus facti, in nomine Iesu faciamus, gratias agentes eum. Col. 3: 16. 17.

Ad Pium, Modestum & eruditum Juv.
DN. JOHANNEM SCHRODERUM, R
publicè responsorum de.

Reformatione, quæ sit renovatione?
ex Paulo Rom. XII. 1, 2, 3.

Quām vocet ad vitæ novitatem buccina
Viscera perq; sonet nos miserantis
Hoc tibi nunc studium OSCHRODERE cat
Nec minus hoc vitæ porrò docebit opus

